# LJUBLJANSKI ŠKOFIJSKI LIST.

Št. V. 1906.



Vsebina: 34. Litterae Pii PP. X. circa Pianam sodalitatem pro Austriae imperio. — 35. Litterae encyclicae Pii PP. X. ad Archiepiscopos et Episcopos universumque Clerum et populum Galliae. — 36. Declaratio Papae Pii X. de vi capitis „Tametsi" Concilii Trid. circa matrimonia catholicorum et mixta in Germaniae imperio. — 37. Decretum S. C. Concilii de seminariorum alumnis. — 38. Skrb za ohranjenje umetnostnih spomenikov. — 39. Kdo spada pod sodnost c. in kr. vojaške duhovščine? — 40. Pogodbe glede vzgoje otrok pri mešanih zakonih ogrskih podanikov. — 41. Nabiranje milodarov za pogorelce v Starem trgu pri Ložu. — 42. Konkurzni razpis. — 43. Škofijska kronika.


34.

## Litterae Pii PP. X. circa Pianam sodalitatem pro Austriae imperio.

**Dilecto Filio nostro Antonio Iosepho Tit. s. Mariae Angel. in Termis S. R. E. Presbytero Cardinali Gruscha**

**Archiepiscopo Vindobonensium**

**Vindobonam.**

## PIUS PP. X.

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quem catholici ex Austria viri celebrarunt, brevi ante tempore, sollemnem frequentia et gravitate conventum, multos certum est, eosque vere fecundos attulisse rei catholicae fructus, in quibus illum prae ceteris salubrem ac diutius expetitum, qui e consociatis coniunctisque viribus progressurae actioni catholicae paratur. Unum tamen est, unde quotquot alunt christianum intime sensum, non minorem, quam ex animorum conciliata concordia, capiant laetitiam oportet, eam praesertim si praecipiant mente utilitatem, quae si non proxima ad experiendum adest, erit certe, supra quam dici potest, profutura in posterum. Consilio nimirum vestro delectentur opus est, in memorata congressione inito, obsistendi, bonarum ephemeridum ope, pervaganti usquequaque malorum diariorum veneno. Quam quidem ad rem sodalitatem scimus constitutam a vobis, quae a S. Pio V. „Piusverein" nuncupetur, habeatque illud propositum sibi, diaria et ephemerides omne genus, tum in omni Austria, tum maxime Vindobonae edere, ad religionis normam spiritumque informata. Commodum ista etiam in causa agnoscimus e decreta vobis consensione latum, quam quidem consensionem pari animi vi et Nos commendandam et vos amplectendam in Vindobonensi coetu existimavimus. Quanti Nos praestantissimae utilitatis rem faciamus, pluries verbis, pluries etiam scriptis aperuimus, Leonis XIII. f. r., decessoris, secuti studiose exemplum, qui in tam fructuoso Pontificatus cursu nihil impensiore censuit sollicitudine commendandum, quam ut scripta scriptis, in publica recti et pravi dimicatione, opponerentur. Est enimvero illud nostrae aetatis ingenium ut, qui ratione sua cogitandi et agendi cupiant imbuere multitudinem, praesidio utantur potissimum isto, commentarios librosque disseminandi in vulgus suasque fere inserendi opiniones in mente legentium: norunt enim usuvenire per hanc viam ut, qui legit, suum sensim intellectum subdat dominatui ephemeridum. Pronum inde est intelligere id quod dolenter agnoscitis ipsi, huiusmodi derivari ex caussa luctuosissimam perniciem tum in mentes tum in animos ab osoribus fidei catholicae illatam, optimis obnitentibus saepe perperam, quod scilicet aetatis huius indoles non esset ipsis perspecta semper, nec paria huc usque arma tractarent. Huius igitur pervadentis publice privatimque calamitatis omni studio cohibenda et propulsanda est vis: quod quidem si debet in omni gente et natione quaeri, multo tamen magis curandum vestratibus est, penes quos angustioribus finibus, quam apud ceteras catholicas gentes, commentariorum catholici nominis emissio et lectio constringitur. Quapropter catholico Vindobonensi con-

gressui non imerito gratulamur, quod iniecerit Nobis spem, pro virtute et gravitate eius certam, repellendi et resarciendi damni, atque etiam ampli et uberis comparandi Austriae profectus. Non equidem latet Nos, multa posse praecellenti rei obstare; quod tamen numquam adimat catholico viro animum. Ad vos vero quod attinet, quae erant assequendae rei metuenda impedimenta magis, ea sunt praerepta feliciter: nam prosper congressionis exitus hinc iubet plene confidere dissensiones opinionum, civilium partium studium aut nationis discrimina non fore dissipatura vires nec interceptura opus; inde vero virtus fidelitasque Episcoporum securum animum Nostrum efficiant non defuturos sapientes ac necessarios operi duces. Utrumque vehementer cupimus; utrumque pro defensione et incremento catholici gregis optamus, nihil simul ambigentes, quin clariores loco fortunisque fideles honori sibi atque officio vertant sodalitatem iuvare tam nobilem, studiumque fidei catholicae, cuius tam varia benefacta persentiunt, honestissima munificentiae laude cumulare. Sed Nostra haec spes et adhortatio non Episcopos modo aut praestantiores fideles spectat, verum etiam catholicam omnem Austriam attingit: malis adhuc ephemeridum lacerata scriptis, mirum quanto cum desiderio tota debet in praesens e Piana sodalitate quaerere salutem. Detrimentis tantis e pravarum lectione ephemeridum insidentibus, tam multaque ex adverso per commensarios bonos praebita utilitate, grave omnes officium tenet tum ab inimicis abstinendi diariis, tum catholicis succurendi, nomen maxime dando, opemque, pro sua quisque facultate, ferendo. Illud interim Nobis solatio maximo est, bonam meritamque posse de natione vestra expectationem fovere: habemus enim pro certo, ibi publicam incolumitatem iri expergefactum, ibique non defuturam omnino victoriam, ubi nec antiquum robur militum iacet, nec virtus et prudentia ducum, tua nimirum aliorumque Praesulum, minore praestantia perseverat. Quo vero liberalius coelestium donorum thesauri nationi vestrae reserentur, auspicem gratiae divinae, testemque praecipuae dilectionis Nostrae Apostolicam Benedictionem quum Pianae sodalitati, tum iis universis, qui eidem re et gratia favebunt, Tibi vero imprimis ac ceteris Austriae Pastoribus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVII Ianuarii MCMVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

**Pius PP. X.** m. p.

---

35.

# Litterae encyclicae Pii PP. X. ad Archiepiscopos et Episcopos universumque Clerum et populum Galliae.

## Pius PP. X.

### Venerabiles fratres et Dilecti Filii salutem et Apostolicam Benedictionem.

Vehementer nos esse sollicitos et praecipuo quodam dolore angi, rerum vestrarum causâ, vix attinet dicere; quando ea perlata lex est, quae quum pervetustam civitatis vestrae cum Apostolica Sede necessitudinem violenter dirimit, tum vero indignam miserrimamque Ecclesiae in Gallia conditionem importat. Gravissimum sane facinus, idemque, ob ea quae civili societati allaturum est aeque ac religioni detrimenta, omnibus bonis deplorandum. Quod tamen nomini arbitramur inopinatum accidisse, qui quidem postremis temporibus, quemadmodum sese adversus Ecclesiam rei publicae moderatores gererent, attenderit. Vobis certe nec subitum accidit nec novum, Venerabiles Fratres, quibus ipsis testibus, christiana instituta plagas tam multas tamque magnas, alias ex aliis, accepere publice. Vidistis violatam legibus christiani sanctitudinem ac stabilitatem coniugii; dimotam de scholis, de valetudinariis publicis religionem; abstractos a sacra studiorum et virtutum disciplina clericos et sub arma compulsos; disiectas spoliatasque bonis religiosas Familias, earumque sodales ad inopiam plerumque redactos rerum omnium. Illa etiam decreta nostis: ut aboleretur consuetudo vetus vel auspicandi, propitiato Deo, legumlatorum ac iudicum coetus, vel ob memoriam mortis Christi lugubria induendi navibus; ut sacramentis in iure dicendis forma speciesque abrogaretur religiosae rei; ut in iudiciis, in gymnasiis, in terrestribus maritimisque copiis, in rebus denique omnibus ditionis publicae, ne quid esset aut fieret, quod significationem aliquam christianae professionis daret. Iamvero ista quidem et id genus cetera, quum ab Ecclesia sensim rem publicam seiungerent, nihil fuisse aliud apparet, nisi gradus quosdam consulto iactos ad plenum discidium lege propria inducendum: id quod ipsi harum rerum auctores profiteri plus semel et prae se ferre non dubitarunt. — Huic tanto malo ut occur-

reret Apostolica Sedes, quanto in se habuit facultatis, totum eo contulit. Nam ex una parte admonere atque hortari gubernatores Galliae non destitit, etiam atque considerarent, hunc quem instituissent discessionis cursum, quanta esset incommodorum consecutura moles; ex altera autem suae in Galliam indulgentiae benevolentiaeque singularis illustria duplicavit documenta; non absurde confisa, se ita posse, qui praeerant, tamquam iniecto officii gratiaeque vinculo, retinere in declivi, atque ab incoeptis demum abducere. — At huiusmodi studia, officia, conata et Decessoris et Nostra recidisse ad nihilum omnia cernimus; siquidem inimica religioni vis, quod contra iura catholicae gentis vestrae ac vota recte sentientium diu contenderat expugnavit. Hoc igitur tam gravi Ecclesia tempore, ut conscientia Nos officii sanctissimi iubet, Apostolicam vocem tollimus, et mentem animumque Nostrum vobis, Venerabiles Fratres et dilecti Filii, patefacimus: quos quidem universos omnes semper consuevimus peculiari quadam caritate prosequi, nunc vero, uti par est, eo vel amantius complectimur.

Civitatis rationes a rationibus Ecclesiae segregari oportere, profecto falsissima, maximeque perniciosa sententia est. — Primum enim, quum hoc nitatur fundamento, religionem nullo pacto debere civitati esse curae, magnam infert iniuriam Deo: qui ipse humanae societatis non minus quam hominum singulorum conditor et conservator est; propter eaque non privatim tantummodo colatur necesse est, sed etiam publice. — Deinde, quidquam esse supra naturam, non obscure negat. Etenim actionem civitatis sola vitae mortalis prosperitate metitur, in qua consistit causa proxima civilis societatis: causam ultimam civium, quae est sempiterna beatitudo extra hanc brevitatem vitae hominibus proposita, tamquam alienam reipublicae, plane negligit. Quod contra, ad adeptionem summi illius absolutique boni, ut hic totus est fluxarum rerum ordo dispositus, ita verum est rempublicam non modo non obesse, sed prodesse oportere. — Praeterea descriptionem pervertit rerum humanarum a Deo sapientissime constitutam, quae profecto utriusque societatis, religiosae et civilis, concordiam requirit. Nam, quoniam ambae, tametsi in suo quaeque genere, in eosdem tamen imperium exercent, necessitate fit, ut causae inter eas saepe existant eiusmodi, quarum cognitio et diiudicatio utriusque sit. Iamvero, nisi civitas cum Ecclesia cohaereat, facile ex illis ipsis causis concertationum oritura sunt semina, utrinque acerbissimarum; quae iudicium veri, magna cum animorum anxietate, perturbent. Postremo maximum importat ipsi societati civili detrimentum; haec enim florere aut stare diu, posthabita religione, quae summa dux ac magistra adest homini ad iura et officia sancte custodienda, non potest.

Itaque Romani Pontifices huiusmodi refellere atque improbare opiniones, quae ad dissociandam ab Ecclesia rempublicam pertinerent, quoties res tempusque tulit, non destiterunt. Nominatim Decessor illustris, Leo XIII. pluries magnificeque exposuit, quanta deberet esse, secundum christianae principia sapientiae, alterius societatis convenientia cum altera: inter quas „quaedam, ait, intercedat necesse est ordinata colligatio, quae quidem coniunctioni non immerito comparatur, per quam anima et corpus in homine copulantur". Addit autem: „Civitates non possunt, citra scelus, gerere se tanquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere . . . Ecclesiam vero, quam Deus ipse constituit, ab actione vitae excludere, a legibus, ab institutione adolescentium, a societate domestica, magnus et perniciosus est error."[1])

Iamvero, si contra omne ius fasque agat quaevis christiana civitas, quae Ecclesiam ab se segreget ac removeat, quam non est probandum, egisse hoc ipsum Galliam, quod sibi minime omnium licuit! Galliam dicimus, quam longo saeculorum spatio haec Apostolica Sedes praecipuo quodam ac singulari semper amore dilexerit; Galliam, cuius fortuna omnis et amplitudo nominis et gloriae religioni humanitatique christianae cognata semper fuerit! Apte idem Pontifex: „Illud Gallia meminerit, quae sibi cum Apostolica Sede sit, Dei providentis numine, coniunctio, arctiorem esse vetustioremque, quam ut unquam audeat dissolvere. Inde enim verissimae quaeque laudes, atque honestissima decora profecta . . . Hanc velle turbari necessitudinem idem foret sane, ac velle de auctoritate gratiaque nationis Gallica in populis non parum detrahi."[2])

Accedit autem quod haec ipsa summae necessitudinis vincula eo sanctiora iubebat esse sollemnis pactorum fides. Nempe Apostolicam Sedem inter et Rempublicam Gallicam conventio eiusmodi intercesserat, cuius ultro et citro constaret obligatio; cuiusmodi eae plane sunt, quae inter civitates legitime contrahi consueverunt. Quare et Romanus Pontifex et rei Gallicae moderator se et suos quisque successores sponsione obstrinxere, in iis quae pacta essent, constanter permansuros. Consequebatur igitur, ut ista pactio eodem iure, ac ceterae quae inter civitates fiunt, regeretur, hoc est, iure gentium; ideoque dissolvi ab alterutro dumtaxat eorum qui pepigerant nequaquam posset. Apostolicam autem Sedem summa semper fide conditionibus stetisse, omnique tempore postulasse, ut fide pari staret eisdem civitas, nemo

[1]) Epist. Enc. *Immortale Dei* data die I. Novembris anno MDCCCLXXXV.

[2]) In alloc. ad peregr. Gallos hab. die XIII. Aprilis anno MDCCCLXXXVIII.

prudens suique iudicii homo negaverit. Ecce autem Respublica pactionem adeo sollemnem et legitimam suo tantum arbitrio rescindit; violandaque religione pactorum, nihil quidquam pensi habet, dum sese ab Ecclesiae complexu amicitiaque expediat, et insignem Apostolicae Sedi iniuriam imponere, et ius gentium frangere, et ipsam commovere graviter disciplinam socialem et politicam; siquidem nihil tam interest humani convictus et societatis ad secure explicandas rationes populorum mutuas, quam ut pacta publica sancte inviolateque serventur.

Ad magnitudinem autem iniuriae, quam Apostolica Sedes accepit, accessionem non mediocrem factam esse liquet, si modus inspiciatur, quo modo Respublica pactum resolvit. Est hoc ratum similiter iure gentium atque in moribus positum institutisque civilibus, ut non ante liceat conventa inter civitates solvi, quam civitas altera, quae hoc velit, alteri se id velle clare aperteque ipsi legitime denuntiarit. Iamvero hic voluntatis huiusmodi apud Apostolicam ipsam Sedem legitima, non modo denuntiatio, sed ne ulla quidem significatio intercessit. Ita non dubitarunt gubernatores Galliae adversus Apostolicam Sedem communia urbanitatis officia deserere, quae vel minimae cuique minimique momenti civitati praestari solent; neque iidem veriti sunt, quum nationis catholicae personam gererent, Pontificis, summi Ecclesiae catholicae Capitis, dignitatem potestatemque contemnere; quae quidem potestas eo maiorem ab iis verecundiam, quam civilis ulla potestas postulabat, quod aeterna animarum bona spectat, neque ullis locorum finibus circumscribitur.

Sed iam ipsam in se legem considerantibus, quae modo promulgata est, novae Nobis multoque gravioris querelae nascitur causa. Principio Respublica quum revulsis pactionis vinculis ab Ecclesia discederet, consequens omnino erat, ut eam quoque missam faceret et concessa iure communi frui libertate sineret. At nihil minus factum est: nam plura hic videmus esse constituta, quae, odiosum privilegium Ecclesiae irrogando, eam civili imperio subesse cogant. Nos vero cum graviter molesteque ferimus, quod hisce sanctionibus civilis potestas in eas res invasit, quarum iudicium et arbitrium unius est sacrae potestatis; tum etiam eoque magis dolemus, quod eadem, aequitatis iustitiaeque oblita, Ecclesiam Gallicam in conditionem ac fortunam coniecit duram incommodamque maxime, atque eam sacrosanctis ipsius iuribus adversissimam.

Nam primum huius decreta legis constitutionem ipsam offendunt, qua Christus Ecclesiam conformavit. Scriptura enim eloquitur et tradita a Patribus doctrina confirmat, Ecclesiam mysticum esse Christi corpus *pastorum* et *doctorum* auctoritate administratum,[1]) id est societatem hominum, in qua aliqui praesunt ceteris cum plena perfectaque regendi, docendi iudicandi potestate.[1]) Est igitur haec societas, vi et natura sua, *inaequalis;* duplicem scilicet complectitur personarum ordinem, pastores et gregem, id est eos, qui in variis hierarchiae gradibus collocati sunt et multitudinem fidelium: atque hi ordines ita sunt inter se distincti, ut in sola hierarchia ius atque auctoritas resideat movendi ac dirigendi consociatos ad propositum societati finem; multitudinis autem officium sit, gubernari se pati, et rectorum sequi ductum obedienter. Praeclare Cyprianus Martyr: „Dominus noster, cuius praecepta metuere et servare debemus, Episcopi honorem et Ecclesiae suae rationem disponens, in Evangelio loquitur, et dicit Petro: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus,* etc. Inde per temporum et successionum vices Episcoporum ordinatio et Ecclesiae ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur"; idque ait „divina lege fundatum".[2]) Contra ea, legis huius praescripto, administratio tuitioque cultus publici non hierarchiae divinitus constitutae relinquitur, sed certae cuidam defertur consociationi civium: cui quidem forma ratioque imponitur personae legitimae, quaeque in universo religiosi cultus genere sola habetur civilibus uti instructa iuribus, ita obligationibus obstricta. Igitur ad consociationem huiusmodi templorum aedificiorumque sacrorum usus, rerum ecclesiasticarum tum moventium tum solidarum possessio respiciet; ipsi de Episcoporum, de Curionum, de Seminariorum aedibus liberum, licet ad tempus, permittetur arbitrium; ipsius erit administrare bona, corrogare stipes, pecuniam et legata percipere, sacrorum causâ. De hierarchia vero silentium est. Statuitur quidem, istas consociationes ita conflandas esse, quemadmodum cultus religiosi, cuius exercendi gratiâ instituuntur, propria disciplina ratioque vult; verumtamen cavetur, ut si qua forte de ipsarum rebus controversia inciderit, eam dumtaxat apud *Consilium Status* diiudicari oporteat. Perspicuum est igitur ipsas consociationes adeo civili potestati obnoxias esse, nihil ut in eis ecclesiasticae auctoritati loci relinquatur. Quantopere haec omnia sint Ecclesiae aliena dignitati, contraria iuribus et constitutioni divinae, nemo non videt: eo magis, quod non certis definitisque formulis, verum tam vagis tamque late patentibus perscripta lex est in hoc capite, ut iure sint ex eius interpretatione peiora metuenda.

Praeterea nihil hac ipsa lege inimicius libertati Ecclesiae. — Etenim, si prohibentur sacri magistratus, ob interiectas consociationes quas diximus, plenam muneris sui exercere potestatem; si in easdem con-

[1]) Ephes. IV, 11 seqq.

[1]) Matth. XXVIII, 18. 20; XVI, 18. 19; II. Cor. X. 6; XIII, 10, et alibi.

[2]) S. Cypr. Epist. XXXIII (al. XXVII, ad lapsos), n. I.

sociationes summa vindicatur *Consilio Status* auctoritas, eaeque parere alienissimis a iure communi statutis iubentur, ita ut difficile coalescere, difficilius queant consistere; si data divini cultus exercendi copia, multiplice exceptione minuitur; erepta Ecclesiae studio vigilantiaeque, custodia templorum Reipublicae attribuitur: ipsum coercetur Ecclesiae munus de fide ac morum sanctitate concionandi, et severiores irrogantur clericis poenae; si haec et talia sanciuntur, in quibus multum etiam libido interpretandi possit, quid hic aliud agitur, quam ut Ecclesia in humili abiectaque conditione locetur, et pacificorum civium, quae quidem est pars Galliae multo maxima, per speciem conservandi publici ordinis, sanctissimum ius violetur profitendae, uti velint, religionis suae? Quamquam civitas non comprimendâ solum divini cultus professione, qua totam vim rationemque definit religionis, Ecclesiam vulnerat; sed eius etiam vel virtuti beneficae intercludendo aditus ad populum, vel actionem multipliciter debilitando. Igitur satis non habuit, praeter cetera, Ordines submovisse religiosorum, unde in sacri ministerii perfunctione, in institutione atque eruditione adolescentis aetatis, Christianae procuratione beneficentiae praeclara adiumenta suppetebant Ecclesiae: nam humanis eam opibus, id est necessario quodam ad vitam et ad munus subsidio, intervertit.

Sane, ad ea quae conquesti sumus damna et iniurias, hoc accedit, ut ista de discidio lex ius Ecclesiae sua sibi habendi bona violet atque imminuat. Etenim de patrimonii, magnam partem, possessione, probatissimis quibusque titulis quaesiti, Ecclesiam, alte iustitia reclamante, deturbat: quidquid rite constitutum sit, addicta pecuniâ in divinum cultum aut in stata defunctorum solatia, tollit atque irritum iubet esse; quas facultates catholicorum liberalitas christianis utique scholis aut variis christianae beneficentia institutis sustinendis destinarat, eas ad instituta laicorum transfert, ubi plerumque aliquod catholicae religionis vestigium frustra quaeras: in quo quidem patet, una cum Ecclesiae iuribus, testamenta voluntatesque apertas auctorum everti. Quod vero per summam iniuriam edicit, quibus aedificiis Ecclesia ante pactum conventum utebatur, ea posthac civitatis aut provinciarum aut municipiorum fore, singulari Nobis est sollicitudini. Nam si consociationibus divino cultui exercendo usus templorum, ut videmus, gratuitus nec definitus conceditur, concessum tamen huiusmodi tot tantisque exceptionibus extenuatur, ut reapse templorum arbitrium omne civiles magistratus obtineant. Vehementer praeterea timemus sanctitati templorum: neque enim cernimus abesse periculum, ne augusta divinae maiestatis domicilia, eademque carissima memoriae religionique Gallorum loca, profanas in manus quum deciderint, profanis ritibus polluantur. In eo autem, quod Rempublicam lex officio solvit suppeditandi annuos sacrorum sumptus, simul fidem sollemni pacto obligatam, simul iustitiam laedit gravissime. Etenim nullam dubitationem hoc habet, quod ipsa rei gestae testantur monumenta, Rempublicam Gallicam, quum pacto convento sibi suscepit onus praebendi Clero unde vitam decenter ipse agere, ac publicam religionis dignitatem curare posset, non id fecisse comitatis benignitatisque gratiâ; verum ut eam, quam proximo tempore Ecclesia passa esset publice direptionem bonorum, saltem ex parte aliqua sarciret. Similiter eodem convento, quum Pontifex, concordiae studens, recepit, se successoresque suos nullam molestiam exhibituros iis, ad quos direpta Ecclesiae bona pervenissent, sub ea coditione constat recepisse, ut per ipsam Rempublicam perpetuo esset honestae et Cleri et divini cultus tuitioni consultum.

Postremo, ne illud quibus silebimus, hanc legem, praeterquam Ecclesiae rebus, vestrae etiam civitati non exiguo futuram damno. Neque enim potest esse dubium quin multum habitura sit facultatis ad eam labefactandam coniunctionem et conspirationem animorum, quae si desit, nulla stare aut vigere queat civitas; et quam, his maxime Europae temporibus, quisquis est in Gallia vir bonus vereque amans patriae, salvam et incolumem velle debet. Nos quidem, exemplo Decessoris, a quo exploratissimae erga nationem vestram caritatis eximiae cepimus hereditatem, quum avitae religionis tueri apud vos integritatem iurium niteremur, hoc simul spectavimus semper et contendimus, communem omnium vestrum pacem concordiamque, cuius nullum vinculum arctius quam religio, confirmare. Quapropter intelligere sine magno angore non possumus, eam auctoritate publica patratam esse rem, quae, concitatis iam populi studiis funestarum de rebus religiosis contentionum faces adiiciendo, perturbare funditus civitatem posse videatur.

Itaque, Apostolici Nostri officii memores, quo sacrosancta Ecclesiae iura a quavis impugnatione defendere ac servare integra debemus, Nos pro suprema, quam obtinemus divinitus, auctoritatem, sancitam legem, quae Rempublicam Gallicanam seorsum ab Ecclesia separat, reprobamus ac damnamus; idque ob eas quas exposuimus causas: quod maxima afficit iniuriâ Deum, quem sollemniter eiurat, principio declarans Rempublicam cuiusvis religiosi cultus expertem; quod naturae ius gentiumque violat et publicam pactorum fidem; quod constitutioni divinae et rationibus intimis et libertati adversatur Ecclesiae; quod iustitiam evertit, ius opprimendo dominii, multiplici titulo ipsaque conventione legitime quaesitum; quod graviter Apostolicae Sedis dignitatem ac personam Nostram, Episcoporum, Ordinem, Clerum et Catholicos Gallos offendit. Propterea de rogatione, latione, promulga-

tione eiusdem legis vehementissime expostulamus; in eaque testamur nihil quidquam inesse momenti ad infirmanda Ecclesiae iura, nullâ hominum vi ausuque mutabilia.

Haec ad istius detestationem facti vobis, Venerabiles Fratres, Gallicano populo, atque adeo christiani nominis universitati edicere habuimus. — Equidem molestissime, ut diximus, afficimur, mala prospicientes quae a hac lege dilectae nationi impendent, maximeque commovemur miseriis aerumnis, laboribus omne genus, in quibus fore vos, Venerabiles Fratres, Clerumque vestrum cernimus. Attamen, ne his tantis curis affligi Nos frangique patiamur, prohibet divinae benignitatis providentiaeque cogitatio, atque exploratissima spes, nunquam fore ut Ecclesiam IESUS CHRISTUS ope praesentiaque sua destituat. Itaque longe id abest a Nobis, ut quidquam formidemus Ecclesiae causâ. Divina est virtutis eius stabilitas atque constantia, eaque satis, opinamur, tot saeculorum experimento cognita. Nemo enim unus ignorat, asperitates rerum hac temporis diuturnitate in eam incubuisse et plurimas et maximas; atque, ubi virtutem non humanâ maiorem deficere necesse fuisset, Ecclesiam inde validiorem semper auctioremque emersisse. Ac de legibus in perniciem Ecclesiae conditis, hoc ferme usuvenire, historia teste, scimus, ut quas invidia conflaverit, eas postea, utpote noxias in primis civitati, prudentia resolvat: idque ipsum in Gallia haud ita veteri memoria constat contigisse. Quod insigne maiorum exemplum utinam sequi inducant animum, qui rerum potiuntur: matureque religionem, effectricem humanitatis, fautricem prosperitatis publicae, in possessionem dignitatis libertatisque suae, omnibus plaudentibus bonis, restituant.

Interea tamen, dum opprimendi exagitandi libido dominabitur, filii Ecclesiae, si unquam alias, oportet, *induti arma lucis*,[1]) pro veritate ac iustitia, omni qua possunt ope nitantur. In quo vos magistri auctoresque ceterorum, profecto, Venerabiles Fratres, omnem eam studii alacritatem, vigilantiam, constantiamque praestabitis, quae Galliae Episcoporum vetus ac spectatissima laus est. Sed hoc potissime studere vos volumus, quod maxime rem continet, ut omnium vestrum in tutandis Ecclesiae rationibus summa sit sententiarum consiliorumque consensio. Nobis quidem certum deliberatumque est, qua norma dirigendam esse in his rerum difficultatibus operam vestram arbitremur, opportune vobis praescribere; nec dubitandum, quin praescripta vos Nostra diligentissime executuri sitis. Pergite porro, ut instituistis, atque eo etiam impensius, roborare pietatem communem; praeceptionem doctrinae christianae promovere vulgatioremque facere; errorum fallacias, corruptelarum illecebras, tam late hodie fusas, a vestro cuiusque grege defendere; eidem ad docendum, monendum, hortandum, solandum adesse, omnia denique pastoralis caritatis officia conferre. Nec vero elaborantibus vobis non se adiutorem strenuissimum praebebit Clerus vester; quem quidem, viris affluentem pietate, eruditione, obsequio in Apostolicam Sedem eximiis, promptum paratumque esse novimus, se totum vobis pro Ecclesia sempiternaque animorum salute dedere. Certe autem, qui sunt huius Ordinis, in hac tempestate sentient sic se animatos esse oportere, quemadmodum fuisse Apostolos accepimus, »*gaudentes . . ., quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.*«[1]) Itaque iura libertatemque Ecclesiae fortiter vindicabunt, omni tamen adversus quempiam asperitate remota: quin imo, caritatis memores, ut Christi ministros in primis addecet, aequitate iniuriam, lenitate contumaciam, beneficiis maleficia pensabunt.

Iam vos compellamus, catholici quotquot estis in Gallia; vobisque vox Nostra tum testimonio effusissimae benevolentiae, qua gentem vestram diligere non desinimus, tum in calamitosissimis rebus quae imminent, solatio sit. — Hoc sibi destinasse pravas hominum sectas, cervicibus vestris impositas, imo hoc denuntiasse insigni audacia se velle, nostis: delere catholicum in Gallia nomen. Eam nempe contendunt extrahere radicitus ex animis vestris fidem, quae avis et maioribus gloriam, patriae prosperitatem verendamque amplitudinem peperit, vobis levamenta aerumnarum ministrat, pacem tuetur tranquillitatemque domesticam, viam munit ad beatitatem adipiscendam sine fine mansuram. In huius defensionem fidei summa vi incumbendum vobis putatis esse scilicet: sed hoc habete, inani vos nisu laboraturos, si dissociatis viribus propulsare hostiles impetus nitemini. Abiicite igitur, si quae insident inter vos, discordiarum semina: ac date operam, ut tanta omnes conspiratione voluntatum et agendi similitudine coniuncti sitis, quanta esse decet homines, quibus una eademque est causa propugnanda, atque ea causa, pro qua quisque non invite debeat, si opus fuerit, aliquam privati iudicii iacturam facere. — Omnino magna generosae virtutis exempla detis oportet, si, quantum est in vobis, vultis, ut officium est, avitam religionem a praesenti discrimine eripere: in quo benigne facientes ministris Dei, divinam peculiari modo benignitatem vobis conciliabitis.

At vobis ad patrocinium religionis digne suscipiendum, recte utiliterque sustinendum, illa esse maxima arbitremini: christianae sapientiae praeceptis vosmetipsos conformari adeo, ut ex moribus atque omni vita professio catholica eluceat: et arctissime cum iis cohaerere, quorum propria est religiosae rei procuratio, cum sa

[1]) Rom. XII, 12.

[1]) Act. V, 41.

cerdotibus nimirum et Episcopis vestris et, quod caput est, cum hac Apostolica Sede, in qua, tamquam centro, catholicorum fides et conveniens fidei actio nititur. Sic ergo parati atque instructi, ad hanc pro Ecclesia propugnationem fidenter accedite; sed videte, ut fiduciae vestrae tota ratio in Deo consistat, cuius agitis causam: eius idcirco opportunitatem auxilii implorare ne cessetis. Nos vero, quamdiu ita vobis erit periclitandum, vobiscum praesentes cogitatione animoque versabimur; laborum, curarum, dolorum participes: simulque prece atque obsecratione humili ac supplici apud Auctorem Statoremque Ecclesiae instabimus, ut respiciat Galliam misericors, eamque tantis iactatam fluctibus celeriter, deprecante MARIA IMMACULATA, in tranquilum redigat.

Auspicem divinorum munerum, ac testem praecipuae benovolentiae Nostrae, vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti Filii, Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XI. Februarii anno MDCCCCVI, Pontificatus Nostri tertio.

**Pius PP. X.**

36.

## Declaratio Papae Pii X. de vi capitis „Tametsi“ Concilii Trident. circa matrimonia catholicorum et mixta in Germaniae imperio.

Provida sapientique cura quavis aetate Sancta Ecclesia legibus latis ea disposuit quae ad christianorum connubiorum firmitatem et sanctitatem pertinerent. In quibus legibus ilia eminentem locum habet, qua Sancta Synodus Tridentina[1]) clandestinorum matrimoniorum pestem abolere et ex populo christiano extirpare contendit. Magnam ex hoc Tridentino Decreto utilitatem in universam rempublicam christianam promanasse et hodie quoque promanare apud omnes in confesso est. Nihilominus, ut sunt res humanae contigit alicubi, et praesertim in Imperio Germanico, propter lamentabilem maximamque in religione divisionem et catholicorum cum haereticis permixtionem in dies augescentem, ut cum praedictae legis observantia incommoda etiam quaedam nec levia coniungerentur. Nimirum cum ex voluntate Concilii caput Tametsi non antea in singulis paroeciis vim obligandi habere coeperit quam in illis rite esset promulgatum, et cum haec ipsa promulgatio an facta sit multis in locis dubitetur, incertum quoque non raro sit an lex Concilii obliget etiam acatholicos uno aliove in loco morantes, maxima inde ac molestissima in plurimis Imperii Germanici locis nata est iuris diversitas et dissimilitudo, plurimaeque et spinosae exortae sunt quaestiones quae in iudicibus quidem persaepe perplexitatem, in populo fideli quamdam legis irreverentiam, in acatholicis perpetuas cierent querelas et criminationes. Non omisit quidem Sedes Apostolica pro nonnullis Germaniae dioecesibus opportunas edere dispositiones et declarationes, quae tamen iuris discrepantiam minime sustulerunt.

Atque haec moverunt complures Germaniae Episcopos ut iterum iterumque Sedem Apostolicam adirent communibus precibus huic rerum conditioni remedium petentes. Quorum preces Decessor Noster f. r. Leo XIII benigne excipiens praecepit ut ceterorum quoque Germaniae Praesulum vota exquirerentur. Quibus acceptis et toto negotio in Suprema Congregatione Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis mature discusso, Nostrum esse officium intelleximus praesenti rerum statui efficax et universale levamen afferre. Itaque ex certa scientia et plenitudine Nostrae potestatis, ut consulamus sanctitati firmitatique matrimonii, disciplinae unitati et constantiae, certitudini iuris, faciliori reconciliationi poenitentium, ipsi quoque paci et tranquillitati publicae, declaramus, decernimus ac mandamus:

I. — In universo hodierno Imperio Germaniae caput Tametsi Concilii Tridentini quamvis in pluribus locis, sive per expressam publicationem sive per legitimam observantiam, nondum fuerit certo promulgatum et inductum, tamen inde a die festo Paschae (idest a die decimaquinta Aprilis) huius anni millesimi nongentesimi sexti omnes catholicos, etiam hucusque immunes a forma Tridentina servanda, ita adstringat, ut inter se non aliter quam coram parocho et duobus vel tribus testibus validum matrimonium celebrare possint.

II. — Matrimonia mixta quae a catholicis cum haereticis vel schismaticis contrahentur, graviter sunt manentque prohibita, nisi accedente iusta gravique causa canonica datis integre, formiter, utrimque legitimis cautionibus per partem catholicam dispensatio super impedimento mixtae religionis rite fuerit obtenta. Quae quidem matrimonia dispensatione licet impetrata, omnino in facie Ecclesiae coram parocho ac duobus tribusve testibus celebranda sunt, adeo ut graviter deliquant qui coram ministro acatholico vel coram solo civili magistratu vel alio quolibet modo clandestino contrahunt. Imo si qui catholici in matrimoniis istis mixtis

[1]) Sess. XXIV, cap. I, de Ref. Matr.

celebrandis ministri acatholici operam exquirunt vel admittunt, aliud patrant delictum et canonicis censuris subiacent.

Nihilominus matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis, etiam in iis quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis Tametsi certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma Tridentina iam contracta vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni legitime lata fuerit. et mutuus coniugum consensus usque ad dictam diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus, atque decernimus.

III. — Ut autem iudicibus Ecclesiasticis tuta norma praesto sit, hoc idem iisdemque sub conditionibus et restrictionibus declaramus, statuimus ac decernimus de matrimoniis acatholicorum, sive haereticorum sive schismaticorum, inter se in iisdem regionibus non servata forma Tridentina hucusque contractis vel in posterum contrahendis; ita ut si alter vel uterque acatholicorum coniugum ad fidem catholicam convertatur, vel in foro ecclesiastico controversia incidat de validitate matrimonii duorum acatholicorum cum quaestione validitatis matrimonii ab aliquo catholico contracti vel contrahendi connexa, eadem matrimonia, ceteris paribus, pro omnino validis pariter habenda sint.

IV. - Ut demum Decretum hoc Nostrum ad publicam notitiam perveniat, praecipimus Imperii Germanici Ordinariis, ut illud per ephemerides dioecesanas aliosque opportuniores modos ante diem Paschae anni currentis cum clero populoque fideli communicent.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVIII Ianuarii MDCCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

**Pius PP. X.**

---

37.

## Decretum S. C. Concilii de seminariorum alumnis.

Vetuit S. Tridentina Synodus ad sacros ordines ascendere, vel ordines iam susceptos exercere eos omnes qui a suo Episcopo fuerint etiam extraiudicialiter prohibiti. Ita namque in *cap. I, Sess. 24, de reform.* statuitur:

„Cum honestius ac tutius sit subiecto debitam Praepositis obedientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, quam cum Praepositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem; ei qui ascensus ad sacros ordines a suo Prelato ex quacumque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extraiudicialiter fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus. nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et dignitates sive honores, restitutio suffragetur".

Cum vero generalis haec lex Seminariorum quoque alumnos comprehendat, si quis eorum, sive clericus sive clericatui adhuc non initiatus, e pio loco dimittatur eo quod certa vocationis signa non praebeat, aut qualitatibus ad ecclesiasticum statum requisitis non videatur instructus, hic certe deberet, iuxta grave S. Concilii monitum, sui Pastoris iudicio subesse et acquiescere.

At contra saepe contingit ut e Seminario dimissi, eorum qui praesunt iudicium parvipendentes et in sua potius opinione confisi, ad sacerdotium nihilominus ascendere studeant. Quaeritant itaque aliud Seminarium, in quod recipiantur, ubi studiorum cursum expleant, ac legitimo domicilii aut incardinationis titulo, ordinationem assequuntur. Sanctuarium autem ingressi haud recta via, quam saepissime fit ut Ecclesiae utilitati minime sint. Passim vero utrumque Ordinarium, et originis et ordinationis, diu fastidioseque vexant ut sibi liceat ad natale solum regredi, ibique consistere, dioecesi in qua et pro qua ordinati sunt derelicta, et alia optata, pro cuius necessitate aut utilitate minime assumpti sunt, ubi imo eorum praesentia otiosa est et quandoque etiam damnosa: unde Episcopi in graves angustias coniiciuntur.

His itaque de causis nonnularum provinciarum Episcopi inter se convenerunt statuentes in sua seminaria neminem admittere qui ante fuerit a proprio dimissus.

Sed cum particularis haec conventio non plene neque undique sufficeret, complures Ordinarii S. Sedem rogaverunt ut generalem legem ferret. qua malum radicitus tolleretur.

His itaque attentis, et omnibus ad rem mature perpensis, SSmus D. N. PIUS PP. X, cui cordi quam maxime est ecclesiasticam disciplinam integram conservare, et a sacris avertere quemlibet qui probatissimus non sit. accedente etiam voto Em. S. C. Concilii Patrum in Congregatione diei XVI mens. Decembris 1905 emisso, praesentibus litteris statuit atque decernit.

1.º ut in posterum nullus loci Ordinarius alterius dioecesis subditum sive clericum sive laicum in suum

Seminarium admittat, nisi prius secretis litteris ab Episcopo Oratoris proprio expetierit et cognoverit, utrum hic fuerit olim e suo Seminario dimissus. Quod si constiterit, omittens iudicare de causis, aut determinare utrum iuste an iniuste alius Episcopus egerit, aditum in suum Seminarium postulanti praecludat.

2.º Qui vero bona fide admissi sunt, eo quod reticuerint se antea in alio seminario versatos esse et ab eo deinde dimissos, statim ut haec eorum conditio cognoscatur, admonendi sunt ut discedant. Quodsi permanere velint, et ab Ordinario id eis permittatur, eo ipso huic dioecesi adscripti maneant, servatis tamen canonicis regulis pro eorum incardinatione et ordinatione; sed aucti sacerdotio in dioecesim, e cuius Seminario dimissi fuerint, regredi ibique stabile domicilium habere prohibentur.

3.º Pariter cum similis ferme ratio vigeat, qui dimissi ex Seminariis aliquod religiosum institutum ingrediuntur, si inde exeant postquam sacris initiati sunt, vetantur in dioecesim redire, e cuius Seminario dimissi fuerint.

4.º Dimissi vero ex aliquo religioso Instituto in Seminarium ne admittantur, nisi prius Episcopus secretis litteris a moderatoribus eiusdem Instituti notitias requisierit de moribus, indole et ingenio dimissorum, et constiterit nil in eis esse quod sacerdotali statui minus conveniat.

Denique meminerint Episcopi fas sibi non esse, nomine proprio manus cuiquam imponere qui subditus sibi non sit eo modo et uno ex iis titulis, qui in Constitutione *Speculatores* Innocentii XII et in decreto S. C. Concilii quod incipit *„A primis“* die XX m. Iulii 1898 statuuntur. Ac pariter neminem ordinari posse qui non sit utilis aut necessarius pro ecclesia aut pio loco pro quo assumitur, iuxta praescripta a S. Tridentino Concilio in *cap. 16, Sess. 23, de reform.*

Vult autem Sanctitas Sua ut statuta haec et cautelae omnes a sacris canonibus in re tam gravi adiectae, ab omnibus Ordinariis ad unguem serventur; idque ipsorum conscientiae et sollicitudini quam maxime commendat.

Praesentibus valituris contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae die 22 m. Decembris 1905.

† **VINCENTIUS Card. Episc. Praenestinus**
*Praefectus.*

C. DE LAI, *Secretarius.*

---

38.

## Skrb za ohranjenje umetnostnih spomenikov.

C. kr. deželna vlada za Kranjsko sporoča z dopisom z dne 23. aprila 1906, št. 8519 semkaj doslovno:

Es ist eine bekannte, in der Öffentlichkeit oft beklagte Tatsache, daß aus dem reichen Schatze an Altertümern und in künstlerischer oder kunstgeschichtlicher Beziehung wertvollen Denkmalen, welche aus einer bedeutungsvollen Vergangenheit auf unsere Tage gekommen sind, im Laufe der Zeit zahlreiche kostbare Objekte durch Verkauf an das Ausland unwiederbringlich verloren gegangen sind.

Mit dem Erstarken historischen Sinnes und des Verständnisses für das Schaffen vergangener Kunstepochen ist zwar eine Änderung zum Besseren eingetreten, indem zunächst einzelne Personen, dann Vereine und Korporationen sich in dankenswerter Weise bemühten, für die Erhaltung der Kunstschätze im Lande einzutreten und solche Objekte, deren Veräußerung nicht hintanzuhalten war, für heimische Museen zu erwerben.

Mancherlei Vorkommnisse aus jüngster Zeit zeigen aber leider, daß trotz alledem die Fälle nicht selten sind, in denen es Händlern und Antiquaren gelingt, in den Besitz wertvoller derartiger Objekte zu gelangen und dieselben außer Land zu veräußern, bevor noch die zur Wahrung der diesbezüglichen Interessen berufenen Organe von dem Kaufe selbst Kenntnis erlangen.

Im Hinblicke auf alle diese Umstände hat Seine Exzellenz der Herr Leiter des k. k. Ministeriums für Kultus und Unterricht mit dem Erlasse vom 9. April 1906, Zl. 775 (K. U. M.) die Landesregierung beauftragt, in nachdrücklichster Weise dem Umsichgreifen des erwähnten Unfuges entgegenzutreten und hat als geeignetes Mittel zur Erreichung dieses Zweckes u. a. auch eine entsprechende und nachdrückliche Belehrung der Bevölkerung in der Richtung ins Auge gefaßt, daß bei jeder sich bietenden Gelegenheit mündlich und schriftlich die Bevölkerung auf die hohe ideele Bedeutung, welche alten Einrichtungsgegenständen, wie Schränken, Truhen, Wandvertäfelungen etc. innewohnt, sowie auf den bedeutenden materiellen Schaden aufmerksam gemacht werde, welchen die Verkäufer selbst bei scheinbar günstigen Preisen durch die Veräußerung solcher Objekte an professionelle Altertumshändler stets und unter allen Umständen erleiden.

Die Landesregierung beehrt sich das hochwürdige fürstbischöfliche Ordinariat um gefällige Mitwirkung

bei der in Rede stehenden Aktion insbesonders im Wege der Pfarrgeistlichkeit und um Mitteilung der erlassenen Weisungen zu ersuchen.

Ko se čč. gg. duhovniki o predstoječem dopisu c. kr. deželne vlade obveščajo, se jim hkrati naroča, naj ob vsaki dani priliki vpoštevajo navodila tega dopisa ter se točno po njem ravnajo. Kranjska dežela sicer ne spada k deželam, ki so bogate na umetninah starejših dôb, zlasti ker se je vsled časovnih razmer mnogo pokončalo in poizgubilo, mnogo pa tudi odšlo v tujino, celo v tuje privatne zbirke. Vse to je vzrok, da morajo vsi poklicani faktorji paziti, da se tudi starejše umetnine, ki so še v deželi in so za poznavanje kulturnega razvoja naše dežele važnega pomena, ohranijo domovini. Zlasti duhovniki naj pri tej skrbi sodelujejo. Da naj bi bili duhovniki pred vsem poklicani varihi domačih umetnin, sledi že iz tega, ker se prav mnogo, lahko rečeno, velika večina teh umetnin tiče cerkvene umetnosti in verskega življenja našega naroda. Pa tudi ljubezen do umetnosti sploh bodi duhovnikom prijeten povod ter naj jim nalaga dolžnost, da se zanimajo tudi za starejše izdelke umetnosti in umetne obrti.

V ta namen naroča ordinarijat sledeče:

1. Gospodje duhovniki naj opomnijo ljudi ob prvi priliki, da naj kupcem in starinarjem pod nobenim pogojem ne prodajajo in ne izročajo starinskih reči.

2. Gospodje dušni pastirji naj skušajo ob ugodnih prilikah izvedeti, se li nahaja v njihovi župniji kaj umetniško zgodovinskih važnih reči.

3. Zlasti naj pregledajo vse cerkveno orodje in cerkvene paramente, tudi že nerabljive stvari, ker se ravno med temi pogostokrat najdejo dragocene umetnine, kar se je zadnji čas večkrat pokazalo; pa bi se bile skoro pogubile, da jih ni vešča roka odtegnila pogubi.

4. O vseh zanimivih starejših izdelkih cerkvene in sploh verske umetnosti naj se sporoči ordinarijatu, ki bo dal v takih slučajih potrebna navodila za ohranjenje dotičnih umetniških proizvodov. Ako niso več v rabi, je želeti, da se pošljejo škofijskemu muzeju.

5. Gospodje župniki naj zlasti pazijo takrat, ko je treba kaj starega odstraniti in z novim nadomestiti. Vse količkaj važne premembe pri notranji cerkveni opravi, pri paramentih itd. naj se pred izvršitvijo ali prenovljenjem naznanijo ordinarijatu.

6. **Strogo se prepove cerkvene umetnine prodajati ali jih zamenjavati za drugo blago brez dovoljenja ordinarijata.** Tudi ni dovoljeno cerkvenih umetnin izročati neposredno svetnim muzejem.

7. Kedar bodo gospodje duhovniki zasledili po svojih župnijah kaj starejših umetnostno zanimivih predmetov starejše dôbe, katerekoli stroke, naj koj posestnika opozoré, da varuje dotične predmete, obenem pa naj naznanijo „Društvu za krščansko umetnost“ v Ljubljani, kaj se je zanimivega našlo. Kar se še nahaja v deželi zanimivih predmetov takozvane narodne umetnosti, to bi sodilo v deželni muzej Rudolfinum.

---

39.

## Kdo spada pod sodnost c. in kr. vojaške duhovščine?

C. kr. deželna vlada za Kranjsko je z dopisom dné 5. maja t. l., štev. 9609 kn.-šk. ordinarijatu doslovno sporočila:

„Das k. k. Ministerium für Kultus und Unterricht hat mit Erlaß vom 14. April 1906, Zahl 10.896, eröffnet, dass laut Mitteilung des k. und k. Reichskriegsministeriums vom 15. März 1906, Abt. 9, Nr. 1861, sich in letzter Zeit die Fälle mehren, dass Zivilseelsorger die Trauung aktiver Militärpersonen, welche nach § 17 der Allerhöchst genehmigten Dienstvorschrift für die Militärgeistlichkeit zur militärgeistlichen Jurisdiktion gehören, mit Umgehung des zuständigen Militärseelsorgers vornehmen.

Dem einschlägigen Auftrage des genannten Ministeriums entsprechend beehrt sich die Landesregierung unter Bezugnahme auf den unterm 26. Februar 1905, Zahl 1965, intimierten Ministerialerlaß vom 20. Jänner 1905, Zahl 36.004 ex 1904 um gefällige Veranlassung zu ersuchen, daß die unterstehenden Pfarrämter in geeigneter Weise neuerlich auf diesen Gegenstand, und zwar in der Richtung aufmerksam gemacht werden, daß die bezeichneten Personen nur dann von Zivilseelsorgern getraut werden dürfen, wenn der ordnungsmäßig ausgefertigte Verkündentlasschein des jurisdiktionszuständigen Militärseelsorgers beigebracht wird und daß ferner Taufen und Leicheneinsegnungen, die zur militärgeistlichen Kompetenz gehören, nur mit Wissen und Erlaubnis des zuständigen Militärgeistlichen von Zivilgeistlichen vorgenommen werden dürfen“.

„Ljubljanski škofijski list“ je že l. 1904 (str. 106) objavil dopis c. in kr. apostolskega vojaškega vikarijata, ki naznanja, da po novih določilih za vojaško duhovščino z dné 2. septembra 1904 odslej žandarmi v Avstriji spadajo pod sodnost civilne duhovščine; nasproti pa soproge in otroci *na drugi način* oženjenega moštva pod oblast vojaške duhovščine.

Kot navodilo dušnim pastirjem priobčimo danes iz poslovnika za c. kr. vojaške duhovnike še gori omenjeni § 17, ki slôve:

Zur militärgeistlichen Jurisdiktion gehören:

*a)* Alle aktiven Personen des k. u. k. Heeres (mit Ausschluß der Mitglieder des Allerhöchsten Hauses), dann die Personen des Lokoversorgungsstandes der Militärinvalidenhäuser.

Zu den aktiven Personen des Heeres gehören:

α) Alle dauernd in aktiver Dienstleistung Stehenden;

β) alle zeitlich Aktivierten (zur zeitlichen aktiven Dienstleistung jeder Art, zur Waffen- (Dienst-)Übung oder zur militärischen Ausbildung Einberufenen;

γ) alle beurlaubten Gagisten (einschließlich der mit Wartegebühr oder ohne Gebühren Beurlaubten) mit Ausnahme derjenigen in keine Rangklasse eingereihten Gagisten, welche dauernd beurlaubt sind;

δ) die zeitlich beurlaubte Mannschaft.

*b)* Die Gattinnen und die unter väterlicher Obsorge stehenden minderjährigen (ehelichen, legitimierten oder adoptierten) Kinder der im Punkte *a)* angeführten Personen;

*c)* die in Militärheilanstalten befindlichen erkrankten oder zur Pflege der Kranken berufenen Personen;

*d)* die Zöglinge der Militär-Erziehungs- und Bildungsanstalten (mit Ausnahme der Mannschaftstöchter-Erziehungsinstitute);

*e)* die Ober- und internen Untervorsteherinnen, dann die Erzieherinnen der Erziehungsinstitute für Offizierstöchter und verwaiste Offizierssöhne;

*f)* die Sträflinge in den Militärstrafanstalten;

*g)* die Personen der zur Armee im Felde gehörigen oder für den Dienst auf Etappenlinien bestimmten Landwehr- (Landsturm-)Abteilungen und die Landwehr- (Landsturm-)Personen der Kriegsbesatzungen eines ausgerüsteten festen Platzes;

*h)* die nach § 10 der Wehrgesetze Wehrpflichtigen, welche im Mobilisierungsfalle zu einer Dienstleistung für Kriegszwecke beigezogen werden;

*i)* alle Personen, welche sich im Gefolge der auf den Kriegsfuß gesetzten Armeekörper und Truppen befinden, und

*k)* die Kriegsgefangenen und die unter militärischer Obhut stehenden Geiseln.

---

40.

# Pogodbe glede vzgoje otrok
## pri mešanih zakonih ogrskih podanikov.

„Pastoralblatt für die k. und k. katholische Militaer- und Marinegeistlichkeit“ poroča o tej zadevi doslovno:

Nach dem ungariſchen Geſetzartikel XXXIII vom Jahre 1894 können „rezipierten oder geſetzlich anerkannten verſchiedenen Konfeſſionen angehörende Eheleute vor Schließung der Ehe ein für allemal eine Vereinbarung treffen, ob ihre Kinder insgeſamt der Religion des Vaters oder der Mutter folgen, beziehungsweiſe in derſelben erzogen werden ſollen.“ — „Dieſe Vereinbarung iſt nur dann gültig, wenn ſie vor einem königlichen Notar, königlichen Bezirksrichter, Bürgermeiſter oder Oberſtuhlrichter unter den feſtgeſetzten Formalitäten erfolgt.“

Da es den ungariſchen Staatsangehörigen, welche in Öſterreich (Kroatien, Slavonien, Bosnien und der Herzegovina) domizilieren, oft ſchwer fällt, dieſe Vereinbarung vor den vorgenannten ungariſchen Amtsperſonen zu treffen, ſo hat das Apoſtoliſche Feldvikariat an das ungariſche Juſtizminiſterium die Anfrage gerichtet, ob ungariſche, aber in Öſterreich domizilierende Staatsangehörige den in Rede ſtehenden Vertrag in rechtsgültiger Form im Sinne des öſterreichiſchen Geſetzes vom 25. Mai 1868, R.-G.-Bl. Nr. 49, auch vor einem k. k. Bezirksgerichte oder vor einem k. k Notar abſchließen können und ob dieſer Vertrag den ungariſchen Verträgen gleichgehalten wird?

Das ungariſche Juſtizminiſterium hat hierauf dem Apoſtoliſchen Feldvikariate mit Erlaß H 4463/J. M. 1905 I vom 6. Mai 1905 eröffnet, daß „das Übereinkommen in Betreff der Kinder im Sinne des Geſetzartikels XXXIII vom Jahre 1894 nur vor den ungariſchen Behörden (d. i. dem königlichen Notar, königlichen Bezirksrichter, Bürgermeiſter, Oberſtuhlrichter) zu ſtande kommen kann und ein von einem ungariſchen Staatsbürger vor einer ausländiſchen Behörde geſchloſſenes Übereinkommen keine Gültigkeit hat; daß ferner dieſes Übereinkommen nach § 1 des Erlaſſes Nr. 1674 vom 29. Juni 1895 des ungariſchen Juſtizminiſteriums und der Miniſterien für Kultus und Unterricht ſowie des Innern perſönlich oder durch Bevollmächtigte (je einer für den Bräutigam und für die Braut, welche zugleich vor der ungariſchen Behörde erſcheinen müſſen) abgeſchloſſen werden kann.“

„Zur Beglaubigung einer ſolchen im Auslande ausgeſtellten und der heimatlichen züſtändigen Behörde vorzulegenden Ermächtigung für die Bevollmächtigten iſt im Auslande im allgemeinen das zur Legaliſierung der Namensfertigungen (Handzeichen) autoriſierte Organ befugt.“

Es haben demnach die Seelſorger beim Anſuchen um Diſpens vom Ehehinderniſſe der Religionsverſchiedenheit, falls der Bräutigam ein ungariſcher Staatsangehöriger iſt, den im Sinne des vorzitierten Erlaſſes des ungariſchen Juſtzminiſteriums vorgeſchriebenen und vor den ungariſchen Behörden perſönlich oder durch Bevollmächtigte abgeſchloſſ nen Vertrag dem biſchöflichen Ordinariate vorzulegen. Handelt es ſich aber nur um eine nach Ungarn heimatszuſtändige Braut, ſo haben ſich die Seelſorger mit einem nach öſterreichiſchem Geſetze abgeſchloſſenen Vertrage zu begnügen, weil die Braut durch ihre Verehelichung mit einem Öſterreicher (Kroaten, Slavonier, Bosnier oder Herzegovzen) ohnehin die ungariſche Staatsangehörigkeit verliert.

---

41.

## Nabiranje milodarov za pogorelce v Starem trgu pri Ložu.

Veleslavno c. kr. deželno predsedništvo za Kranjsko je doposlalo z dopisom z dné 11. junija 1906, št. 2286 pr., nastopni oklic:

Dné 2. junija l. l. je v Starem trgu okraja Logatec nastal požar, ki je, pospeševan od močnega vetra, v hišah, največ s slamo kritih, našel obilo netiva. 11 hiš in 16 gospodarskih poslopij, pohištvo, obleka, zaloge krme in živil je uničil ogenj.

Skupna škoda znaša okoli 90.000 K, od katerih je komaj tretjina pokrita z zavarovanjem.

Pogorelci, katerih gospodarsko stanje že poprej ni bilo ugodno, ker so močno zadolženi, so v veliki bedi in ako jim ne pride kmalu od zunaj dejanska pomoč, jim je tem manj mogoče zopet postaviti svoja poslopja ter si tako zagotoviti podlago svojega gospodarskega obstanka, ker nimajo na razpolago svojega stavbenega lesa.

Z ozirom na bedno stanje pogorelcev razpisujem s tem sklad milih darov po vsej kronovini.

Darove pobirajo c. kr. deželno predsedstvo, tukajšnji mestni magistrat in vsa okrajna glavarstva; razglasili se bodo v časopisu „Laibacher Zeitung“ ter potem izročili svojemu namenu.

Čč. gg. dušnim pastirjem se naroča, naj oznanijo ta oklic vernikom z lece, nabrane darove pa naj odpošljejo na označeno mesto.

---

42.

## Konkurzni razpis.

Razpisujejo se župnije: Javorje nad Loko v loški dekaniji, stoječa pod patronstvom verskega zaklada; Stari trg pri Poljanah v semiški dekaniji, stoječa pod patronstvom kolegijatnega kapiteljna v Novem mestu; Struge v ribniški dekaniji, stoječa pod patronstvom župnika v Dobrepoljah; Sveti Vid nad Cerknico v cerkniški dekaniji, stoječa pod patronstvom graščine Nadlišek (Nadlischegg); Šent Lenart v loški dekaniji, stoječa pod patronstvom verskega zaklada; Šmartno pri Litiji, pod patronstvom verskega zaklada.

Prosivci za župnije Javorje, Šent Lenart in Šmartno pri Litiji naj naslové svoje prošnje na veleslavno c. kr. deželno vlado v Ljubljani; za župnijo Stari trg pri Poljanah na prečastiti kolegijatni kapitelj v Novem mestu; za župnijo Struge na č. g. Andreja Ramoveš, župnika v Dobrepoljah; za župnijo Sveti Vid nad Cerknico pa na slavno lastništvo patronske graščine Nadlischegg.

Kot zadnji rok za vlaganje prošenj se s tem določi 4. dan avgusta 1906.

---

43.

## Škofijska kronika.

Kanonikom ad baculum pri stolnici sv. Nikolaja v Ljubljani je bil imenovan č. g. Josip Šiška, ravnatelj knezoškofijske pisarne v Ljubljani.

Č. gosp. Anton Žlogar, župnik in dekan v Šmartnem pri Litiji, je bil imenovan kanonikom kolegijatnega kapiteljna v Novem mestu.

Knezoškofijskim duhovnim svetnikom je bil imenovan č. gosp. Janez Brence, župnik v Preski.

Kanonično vmeščen je bil č. g. Janez Virant na podeljeni mu novomeški kanonikat dne 11. julija 1906.

Podeljene so bile župnije: Boštanj č. gospodu Martinu Kerinu, župniku v Strugah; Dražgoše č. g. Antonu Pfajfarju, župniku v Leskovici; Škocijan pri Turjaku č. gosp. Janezu Jerebu, župniku pri Svetem Vidu nad Cerknico; Stari trg pri Poljanah č. g. Janezu Gnjezdu, župniku na Vojskem, ki se je pa podeljeni župniji odpovedal; Dol č. g. Matiji Kastelec, podvodji v bogoslovnem semenišču.

H kartuzijanom v Pletrije je bil odpuščen č. g. Josip Podlipnik, kapelan v Šent Jerneju.

Č. g. Janez Jeglič je bil nameščen kot kapelan v Podbrezju.

Umrla sta čč. gg.: Anton Brajer, semeniški duhovnik, dné 8. julija 1906 v Mokronogu; Janez Bilc, upokojeni kapelan, dné 13. julija 1906 v Ilirski Bistrici. — Priporočata se v molitev častitim gospodom duhovnim sobratom.

***Knezoškofijski ordinarijat v Ljubljani,*** *dné 20. julija 1906.*

Izdajatelj in odgovorni urednik **Josip Šiška.** — Tiskala Katoliška Tiskarna.